

jurand. citans alios. Ratio est, quia, quod scripturæ privatæ non credatur in commodum scribentis, principaliter est introductum favore partium, seu partis adversæ; ergo huic favori possunt partes renuntiare: c. *Si diligenti.* 12. de *Foro compet.* cum similibus: non minus, ac renuntiare possunt juramento testium, c. *Tuis questionibus.* 39. juncta Glossa fin. de *Testib.*

192. *Scriptura privata probat quando fuit producta, et contra eam pars adversa nihil opposuit.* — Unde Alexander consil. 185. in fin. lib. VI. et Mascardus de *Probat.* concl. 1301. n. 18. citans Jacob. de Aretio, Hostiensem, Butrium, et alios, notanter infert, quod quælibet scriptura privata probet, habeatque effectum instrumenti, quando fuit producta, et contra eam pars adversa omnino nihil opposuit: quia tunc ab hac censetur scriptura illa approbata, et continere veritatem. Quod tamen procedit duntaxat, quando pars adversa omnino nihil contra ejusmodi scripturam opponit; videlicet nec expresse, puta verbis; nec etiam tacite, seu facto ipso: nam secus foret, si quid opponeret facto ipso, puta, petendo se absolvi a petitis partis, arg. l. *Paulus respondit, non tantum verbis.* ff. *Rem ratam haberi*; ac notat Mascardus d. n. 18. et Cravetta cit. tract. de *Antiquit. tempor.* part. I. § *Viso de verbis.* n. 23. et seqq. allegans alios.

193. *Epistola acceptata, et retenta, absque eo quod quis ei expresse contradicat, probat contra acceptantem pro scribente.* — Quarto, Epistola per illum, cui scribitur, accepta, et retenta absque eo, quod ei expresse contradicat, probat contra illum pro scribente: ita ut hoc ipso debitum, vel obligationem in tali epistola expressam fateri censeatur, quod hanc recipiens non contradixerit, cum potuerit. Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 142. ff. de *Jurejurand.* post Bartolum, Baldum pluresque alios. Idem tenet Alexander consil. 78. n. 1. lib. I; Engel h. t.; n. 31. Idque probatur ex Clem. I. de *Procurat.* et l. *Si filiusfamilias absente.* ff. *Ad S. C. Macedonian.* Ubi Summarium sic habet: « Ratione conventionis, qui epistolam recipit, videtur approbare, quod in epistola continetur. » Ubi Glossa v. *Contrariæ voluntatis*, inde notat, aliusque allegatis Juribus firmat, quod « qui non improbat, probat. »

§ VII.

DE LIBRIS RATIONUM, FIDEQUE IPSORUM; NEC NON DE SCULPTURIS ANTIQUIS.

194. *Libri rationum, qui et a quibus confici soleant?* — Quæritur I. Quæ fides debeatur libris rationum? Ubi prænotandum, quod per « Libros rationum » intelligantur illi, quos quis de datis, et acceptis sibi conficit, ut jam dictum supra § 5. n. 135. Et tales libri rationum sunt frequentes, ac usitati, præsertim inter mercatores, tutores, curatores, ac alios rerum alienarum gestores seu administratores. Atque horum aliqui eos conficiunt ratione sui officii; ut olim nummularii, l. *Quædam.* § *Nummularios.* ff. de *Edendo.* item exactor tributorum, ac thesaurarius, l. *Illatæ.* c. de *Fide instrum.* Alii vero libros tales conscribunt ratione suæ administrationis, ut tutores, curatores, alique rerum alienarum administratores, l. I. § *Officio.* ff. de *Tutel. et rationib. distrahend.* Quidam vero pro sua voluntate et arbitrio, prout res postulat, aut expedire videtur, privatim sibi tales libros rationum conficiunt: ut mercatores, ac hujusmodi. Quo prænotato:

195. *Regulariter non probant plene pro scribente, bene tamen contra ipsum.* — Resp. I. Libri rationum regulariter pro scribente plene non probant, bene tamen contra ipsum, seu in ejus præjudicium. Ita Glossa in Clem. un. § *Cæterum.* v. *Rationum.* de *Usuris.* et alia Glossa l. *Quædam.* § *Nummularios.* v. *Decernitur.* ff. de *Edend.*; Abbas cap. II. n. 8. et 9. h. t.; Bartolus in l. *Nuda ratio.* n. 7. ff. de *Donation.*; Mascardus de *Probat.* concl. 977. n. 1. allegans alios, cum communi. Siquidem tales scripturæ revera sunt privatæ; sicque urgent jura, et rationes, § præced. n. 170 et 186. allatæ, exemplo quippe perniciosum est quod sub propriæ scripturæ annotatione quis alium sibi debitorem constituere valeat, l. *Exemplo.* c. de *Probat.* cum similibus. Et si libris rationum in favorem scribentium passim foret credendum, de facili præberetur ansa delinquendi. Accedit, quod instrumenta quoque notariorum, haud obstante quod eorum fides de publico approbata sit, non probent in favorem ipsius scribentis, l. *Divus Claudius.* ff. *Ad leg. Cornel. de Falsis.*

196. *Nec probant pro hærede scribentis; etiamsi succedat fiscus, aut Ecclesia.* — Atque istud ampliatur, ut liber rationum privati,

§ VII. DE LIBRIS RATIONUM, FIDEQUE IPSORUM, ETC.

non solum non probet pro scribente, sed nec etiam pro hærede ipsius; quamvis illi succedat fiscus, aut Ecclesia l. *Inter chartular.* c. de *Conveniend. fisci debitorib.* lib. X. Ubi proin Bartolus in Summario sic loquitur: « Scriptura privata non facit fidem pro scribente, vel ejus hærede. etiamsi fiscus sibi successerit. » Nam, ut inquit Imperator ibidem, « Iniquum esse perspeximus, ut sub propria annotationis manu unusquisque sibi faciat creditorem, » cum concordantiis.

197. *Feneratores, cur cogantur edere libros rationum suarum?* — Nec obstat, quod in Clem. un. § *Cæterum de Usuris,* feneratores in causis usurarum cogantur edere libros rationum suarum; idque frustra fieret, si libri illi rationum nihil probarent. Resp. enim, istud neutiquam obstare: quia ibidem solummodo compelluntur feneratores ad exhibendum codices suarum rationum, et quidem sub censuris ecclesiasticis, ut hoc modo possit deprehendi pravitas usuraria ipsorum, quæ ut plurimum solet occulte committi; non autem ut libri illi eidem suffragentur. Unde Glossa ibid. v. *Cæterum,* notanter infert, ac pluribus aliis juribus allegatis firmat, quod illis feneratorum rationibus stetur contra eos, pro eis non.

198. *Liber rationum probat contra scribentem, etiamsi sit scriptus manu alterius de sua voluntate.* — Ampliatur quoque altera pars datæ conclusionis, ut liber rationum probet contra scribentem, non solum quando est scriptus sua manu, sed etiam quando est scriptus manu alterius de sua voluntate: quia adhuc plene probat contra scribentem, arg. l. *Vice donatricis.* c. de *Donation.* ubi paria esse censentur, per se subscribere, vel alium subscribere vice ipsius; Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 112. ff. de *Jurejurand.* Mascardus concl. 978. n. 5. citans alios; atque n. 16. et seqq. istud cum aliis intelligens, quando liber ille rationum continet causam debiti, vel saltem adsunt quædam conjecturæ de causa debiti: alias secus.

199. *Et quid, si principalis neget, talem librum rationum manu alterius de sua voluntate esse scriptum?* — Nec juvat, si principalis, v. g. mercator, neget talem librum rationum manu alterius de sua voluntate conscriptum fuisse. Non juvat, inquam: quia cum mercator ille talem librum retineat ut suum eoque utatur tanquam suo, quidquid reperitur in illo scriptum, præsumitur scriptum vel manu sua, vel alio de ejus consensu, nisi con-

trarium evidenter probetur. Jason cit. n. 112; Mascardus d. concl. 178. n. 9. citans alios. Alexander consil. 245. n. 1. et seqq. lib. VI. asserens, quod libro creditoris etiam privato, in quo continetur solutio debiti, detur plena fides contra ipsum creatorem, l. *Quædam* § *Nummularios,* juncta Glossa ff. de *Edend.*

200. *Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus liber rationum probat pro scribente.* — Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus data conclusio, seu regula fallit, atque liber rationum probat pro scribente, aut in commodum suorum hæredum. Ita Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 125. et seqq. ff. de *Jurejurand.*; Mascardus d. concl. 97. n. 3. et seqq. Cravetta *Tractatum,* tom. 17. tract. de *Antiquit. tempor.* § *Vidimus et abunde.* n. 2. ac seqq.; et alii. Idque probatur inductione.

201. *Istud fieri potest publica lege sic disponente: ut antiquitus probarunt libri argentariorum, et nummulariorum.* — Et primo quidem id fieri potest publica lege sic disponente: prout antiquitus libris argentariorum, et nummulariorum, qui publica auctoritate assumebantur, et in susceptione sui officii juramentum de fidelitate præstabant, plena fides adhibebatur; juxta textum expressum l. *Quædam.* § *Nummularios.* ff. de *Edendo,* ibi: « Quia nummularii, sicut argentarii rationes conficiunt: quia et accipiunt pecuniam, et erogant per partes, quarum probatio scriptura, codicibusque eorum maxime comprobatur, » etc. Verum hodie (inquit Glossa ibid. v. *Decurritur.*) eorum scripturæ sunt privatæ, ac proinde ipsis non est credendum pro se, sed contra se. Concordat Mascardus loc. cit. n. 88. et seqq.

202. *Istud fieri potest consuetudine, vel statuto speciali: prout alicubi probant libri mercatorum.* — Secundo, consuetudine, vel statuto speciali fieri potest quod libris rationum, v. g. mercatorum, plena fides detur pro scribente, arg. cit. § *Nummularios.* et c. *Cum dilectus.* 8. et cap. ult. de *Consuetud.* cum similibus. Cravetta, ubi supra. n. 1. Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 120. ff. de *Jurejurand.* allegans Paulum de Castro ibid. col. penult. Baldum, et Alexandrum in d. l. *Quædam.* § *Nummularios.* cum aliis. Et addit Jason ibidem, Florentiæ talem esse consuetudinem inter mercatores, quod eorum libris stetur, etiam pro se: quia maxima pœna imponitur eis, si aliquod falsum in libro committerent. Similiter Bononiæ est statutum, quod liber mercatorum plene probet pro mercatore: et

tunc standum est ei, nisi possit probari falsum.

203. *Saltem usque ad certam quantitatem: alias consuetudo illa non esset rationabilis.* — In quibusdam tamen locis taxatur usque ad quam quantitatem sit credendum libris rationum in favorem scribentis, v. g. mercatoris. Nam consuetudo indifferens ac indiscreta, seu quæ disponderet, quod crederetur omni scripturæ mercatoris pro se, etiam in quibuscumque magnis quantitibus, non esset rationabilis: quia daret ansam delinquendi, ac proinde veluti nutritiva peccati non valeret, can. *Erit autem lex.* dist. 4. et c. *Ex parte de Consuetud.* cum similibus, ac notat Alexander consil. 3. n. 6. lib. II. Jason ubi supra, n. 122. Cravetta cit. § *Vidimus et abunde.* n. 6. et alii.

204. *Quod si alicubi vigeat talis consuetudo, vel statutum, sine aliqua taxatione quantitatis, tunc hæc erit arbitraria iudici.* — Quod si igitur detur alicubi talis consuetudo, vel statutum de credendo libris rationum in favorem scribentis sine aliqua taxatione quantitatis, tunc illud ne convincatur esse irrationabile intelligi debet sub tacita illa clausula: « Accedente consensu iudicis, et si ei videbitur: » considerata videlicet qualitate personæ scribentis, quantitate et præiudicio causæ; et sic illud erit arbitrarium iudici. Abbas c. *bonæ memorie.* il. 2. n. 30. de *Postulat. prælat.* citans Baldum in l. un. c. *de Confessis.* Jason loc. cit. n. 122 et 129.

205. *Debet quoque ejusmodi consuetudo, vel statutum intelligi, nisi mercator sit suspectæ vite.* — Insuper stante statuto, vel consuetudine, quod libris mercatorum plena fides detur pro scribente, debet intelligi, ac limitari ejusmodi consuetudo sive statutum; nisi mercator alioquin sit infamis, vel suspectæ vitæ, arg. l. *Si quis ex argentariis.* § *Cogentur.* ff. *de Edendo;* ac notat Jason loc. cit. n. 123. post Baldum l. *Cunctos populos.* in *Repetit.* vers. « Quintum exemplum. » c. *de Summa Trinit.* et alios: idque suadent dicta num. præced.

206. *Liber rationum defuncti, qui fuit vir bonus, facit pro hærede non solum præsumptionem, sed etiam semiplenam probationem.* — Tertio, ac seclusa speciali locorum consuetudine et statuto, liber rationum defuncti, qui fuit vir bonus, bonæque opinionis, facit pro hærede scribentis non solum præsumptionem, ut vult Abbas c. *de Testibus.* h. t. et Bartolus l. *Admonendi.*

n. 27. ff. *de Jurejurand.* et alii; sed etiam semiplenam probationem, dummodo liber ille defuncti habeat debitam formam rationum, seu contineat data et accepta; secus, si esset simplex scriptura unius debiti tantum, quia nihil probaret. Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 120. post Paulum de Castro ibid. col. ult. ff. *de Jurejurand.* et sequitur Mascardus cit. concl. 977. n. 4. et 6. Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis,* cap. II. n. 261; Genova *Scriptura privata,* lib. IV. tit. I. seu *de Libris rationum.* n. 24. et alii ab his citati. Ratio est, quia non est verisimile, quod vir probus, bonæque famæ, in articulo mortis scriberet librum falsum, aut eum falsa contententem relinqueret.

207. *Non vero plenam, nisi aliis adminiculis adjuvetur.* — Plenam tamen probationem se solo ejusmodi liber rationum defuncti non facit, nisi aliis præsumptionibus et adminiculis adjuvetur, l. *Rationes.* c. *de Probat.* ibi: « Rationes defuncti, quæ in bonis ejus inveniuntur, ad probationem sibi debitæ quantitatis solas sufficere non posse, sæpe rescriptum est. » Secus, si alia adminicula concurrant: nam tunc etiam plene probat; arg. l. *Instrumenta domestica.* c. *de Probat.* et cit. l. *Rationes,* ponderando ly, « solas sufficere non posse. » c. eod. cum similibus. Bartolus in l. *Admonendi.* n. 27. ff. *de Jurejurand.*; Abbas cap. II. n. 9. h. t. Mascardus cit. concl. 977. n. 8. Genova loc. cit. n. 32. et alii.

208. *Libro rationum tutoris, mercatoris, seu alterius administratoris viventis, prævio scribentis juramento statur in parvis ac verisimilibus summis, dummodo ille sit vir legalis.* — Quarto, et loquendo de libro rationum tutoris, mercatoris, seu alterius administratoris adhuc viventis, tunc prævio scribentis juramento statur tali libro in parvis ac verisimilibus summis, dummodo cæteroquin tutor, administrator, seu mercator ille sit vir legalis, ac fide dignus. Abbas c. *Bonæ memorie.* 4. n. 30. de *Postulat. prælat.* loquens de mercatore; Jason loc. cit. n. 126. agens de tutoribus et curatoribus; Cravetta loc. cit. § *Quid in libro.* n. 4. et 5; Mascardus cit. concl. 977. n. 13 et n. 58. post Ancharanum consil. 44. n. 6. et alios. Accedit ratio, quia officium istorum communiter est approbatum, et tacite videtur eis mandatam, utificent librum suarum rationum; ergo debet eis credi etiam pro se, saltem in parvis ac verisimilibus summis, ne officium scribendi reddatur ipsis damnosum, si libro suarum

rationum duntaxat crederetur contra se, nullatenus autem pro se. Cæterum, quæ summa censeatur modica, necne, et quando ipsa sit censenda verisimilis, iudicis arbitrio est relinquendum; qui istud dijudicabit inspecta qualitate rei et personarum, aliarumque circumstantiarum, arg. l. *Sed et si suscepti.* § *Sed et si proponas.* ff. *de Judiciis,* cum similibus.

209. *Secus dicendum in magnis summis: nisi concurrant legitimæ probationes, vel sufficientia adminicula.* — Secus dicendum in magnis summis, atque ad grave præiudicium tertii tendentibus. Tunc enim periculosum, atque exemplo perniciosum foret, credere soli libro rationum in favorem scribentis, l. *Exemplo.* et l. *Rationes.* c. *de Probat.* cum concordantiis: ac proinde requiruntur aliæ legitimæ probationes; puta, per testes, seu apochas rite subscriptas: vel saltem tales præsumptiones et adminicula, quibus sufficienter probetur veritas debiti, seu factarum expensarum in favorem scribentis librum rationum. Occasione cujus:

210. *Adminicula hujusmodi, quibus probari potest veritas libri rationum, sunt plura.* — Quæritur II. Quæ sint adminicula illa, quibus probari potest veritas libri rationum in favorem scribentis? Resp. Hujusmodi adminicula esse plura, quæ referuntur tum ab Aymon. Cravetta cit. tom. 17. *Tractatum,* tract. *De antiquitat. temp.* § *Vidimus et abunde.* n. 20. ubi post. Guidonem papæ quæst. 441. et Boerium Decis. 405. n. 5. ponit sex talia adminicula: tum a Pace Jordano tom. III. tit. *de Fide instrument.* n. 408. et seqq. referente novem talia requisita: tum præsertim a Nicolao Genova (alias, Nicolao de Passeribus) cit. l. 4. *de Scriptura privata,* tit. *De libris mercatorum,* n. 48. et seqq. ubi refert quindecim adminicula, sive requisita, quibus concurrentibus, vel majori eorum parte, stante statuto vel consuetudine, potest libris mercatorum plena fides adhiberi; et quidem non solum in parvis, sed etiam in magnis summis, seu quantitibus. Eorum præcipua sunt sequentia:

211. *Ut est legalitas conscribentis librum rationum.* — I. Legalitas conscribentis librum rationum, v. g. mercatoris: nempe, ut sit homo legalis, fideque dignus, et pro tali communiter habitus. II. Ut liber ille rationum manu propria ipsius fuerit scriptus, l. *Generaliter.* c. *De non numerat. pecun.* quamvis alii sufficere velint, si liber penes ipsum

existat, sicque de ejus consensu et voluntate conscriptus præsumatur, nisi contrarium probetur: quia ille videtur scribere, cujus nomine scribitur, l. *Vice donatricis.* c. *de Donationib.* et c. *Qui facit per alium.* 72. *de Reg. jur.* in 6; Farinacius lib. I. consil. 18. n. 16. Genova loc. cit. n. 52 et 54. allegans alios. III. Quod veritatem scribere consueverit, l. *Vel universorum.* ff. *de Pignorat. action.* Alioquin enim « semel malus, » seu falsus in scribendo, « semper præsumitur esse malus, » seu falsus, juxta reg. 8. jur. in 6. Verum istud adminiculum, commode reducitur ad primum.

212. *Quod hic solemniter sit factus in forma libri rationum, et contineat simul data et accepta.* — IV. Adminiculum, ac se tenens ex parte libri rationum est, quod hic solemniter sit factus in forma libri rationum, sicque contineat congruam præfationem, aut inscriptionem: secus, si solum foret simplex scriptura, seu quædam schedula, in qua annotatum reperitur aliquid sibi debitum: talis enim nihil probaret in favorem scribentis. Jason d. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 120. ff. *de Jurejurand.* Mascardus cit. concl. 977. n. 7. Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis,* cap. II. n. 267. Genova d. lib. IV. tit. *de Libris mercat.* n. 96. et alii. Unde ulterius, et §. *Requiritur,* quod liber ille rationum aliquid contineat contra scribentem: alioquin enim non haberet debitam formam libri rationum, nisi contineret simul data et accepta, sicque aliquid contra scribentem, arg. l. *Quædam.* § *Nummularios.* ff. *de Edendo.* Mascardus cit. n. 7. Genova, ubi supra, n. 69. et alii.

213. *Quod in eo addatur causa, ex qua aliquid datum et expensum fuit, una cum anno, mense et die.* — VI. Requiritur quod in eo addatur causa, ex qua quid acceptum, et ex qua quid expensum fuit, arg. l. *Nuda ratio.* junctâ Glossa fin. ff. *de Donation.* Bartolus l. *Instrumenta.* c. *de Probation.* Alexander consil. 179. n. 2. lib. VI. asserens quod liber rationum non probet in ea parte, in qua ratio in ea descripta caret causa, c. *Si cautio.* de *Fide instrument.* et l. *Cum de indebito.* § fin. ff. *de Probation.* Genova loc. cit. n. 60 et alii. VII. Debet in ipsomet libro rationum esse appositus annus, mensis et dies, prout fieri solet in diariis: quia sine certo die rationes redduntur obscuræ, incertæ, et multis fraudibus expositæ; eo quod falsitas, si quæ intervenisset, omisso certo die non facile deprehendi posset. Abbas cap. II. n. 12. h. t.